

CORNELII
IANSENII
EPISCOPI
GANDAVENSIS

COMMENTARIORVM IN SVAM
Concordiam, ac totam Historiam Euangelicam

PARTES IIII.



Quid in vnaquaque contineatur, sequens pagina indicabit.

*Omnia iam denuò, sed multò felicius quàm antea, renata, & à mendis ferè innumeris,
quæ in priori editione resederant, ipsiusmet Authoris opera quàm accuratissimè
repurgata, locisque penè infinitis reddita auctiora.*

Additis III. Indicibus, quicquid toto opere tractatur exactissimè demonstrantibus:
Cætera verò quæ huic editioni accesserunt, Author à Lectorem Epistola plenissimè demonstrabit.



L V G D V N I

EXPENSIS PETRI LANDRY.

M. D. LXXVII.

Monasterio de S. Pedro

dere decreuerunt. Quod enim istud nō sit dictum de incapacitate legentium, patet tum ex eo quod verbum *καρπίζω*, hoc est, capere, propriè pertineat ad spatium locutum ex eo quod etiam vnam scripturam sacræ paginam mundus intelligentia non possit satis capere & assequi. Hac autem cōclusionē Ioannes refecit quorūdam curiositatem, qui alioqui potuissent omnia Christi dicta factaque voluisse per omnia proficere aut assequi, quia significat illud impossibile esse, & proinde id prope modum hic agit, quod Ecclesiastes, qui curiosum quorūdam discendi scribendique studium retundens in fine dicit: His amplius ne requiras, faciendi plures libros nullus est finis. Scripserat enim post alios tres Euangelistas, Ioānes, & ea fere scripsit quæ alij prætermiserunt, quare ne vel quis existimaret eum omnia suppleuisse, vel post ipsam tentaret reliqua omnia supplere, oportune hanc subiecit concludendo sententiam. Scripserunt autem ea maximè ex multis Euangelistis, quæ ad religionem ac fidē & mores utiliora erant, magisque necessaria, quibus qui nō credit, neque pluribus fidem habiturus esset: qui verò credit, alia ei non sunt necessaria, proinde & nos his contenti diligenter his quæ ab ipsis scripta sunt attenda-

A mus, gratias agentes Deo, qui per hos quatuor istorum ad nos cognitionem deriuari fecit, & per sanctos, eosdemque doctos viros, quos in his nostris Commentariis secuti sumus, illorum explanationem nobis aperuit. Cumque ex fine Euangelij secundum Mattheum sciamus illum quem in fine Marcus dicit in cælos assumptum sedere à dextris Dei, esse tamen nobiscum semper vsque ad consummationem seculi, impartiendo nobis suum spiritum, ac sua nos benignitate assidue proficendo, etiam ipsi cum Apostolis, vt habet in suo fine Lucas, gaudeamus gaudio magno, laudantes assidue in Ecclesia & inter fideles, & benedicentes Deum super inenarrabili eius erga nos benignitate. Nec id tantum, sed etiam cum Apostolis, vt habet rursum Marcus, studeamus vbique nomen Christi prædicare, fidemque ac vitam Deo dignam propagare, talia coram hominibus exhibentes opera tanquam veræ fidei signa, quæ nostram confirmet prædicationem, cooperante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuunt & regnat gloriosus in secula. AMEN.

*

F I N I S.